

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4350

Auteur(s) : Robert Campdaveine [particulier]

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1278, septembre

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Robert dit Campdaveine vend à l'abbé et aux chanoines de Sainte-Trinité de la Lucerne une rente annuelle à percevoir des biens sis dans la paroisse de Saint-Pierre-de-Coutances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CXXXV, p. 118-119.

Texte établi d'après a

Sciant omnes tam presentes quam futuri quod ego Rogerus dictus Champdaveine vendidi finaliter et concessi omninoque dimisi abbati et conventui Sancte Trinitatis de Lucerna, dominis meis, quindecim solidos Turonensium et quatuor Turonensium, tres panes et tres gallinas annui redditus quos michi reddebat et reddere tenebatur annuatim, ad festum Sancti Michaelis et ad Natale Domini, Gaufridus dictus Cucu, ratione cujusdam mesnagii, cum terris et domibus et aliis in eo existentibus, siti in parrochia Sancti Petri Constanciensis in feudo ipsorum abbatis et conventus, videlicet inter aquam de Sola et magnam viam Constanciensem et etiam ratione cujusdam pecie terre site in dicta parrochia in feodo similiter ipsorum abbatis et conventus, videlicet inter terram Laurencii dicti Champdaveine et terram Guillelmi Hugonis ; quod vero mesnagium et quam peciam terre idem Gaufridus tenebat de me per homagium, reddendo michi annuatim dictos redditus ad terminos supradictos ; et ita dicti abbas et conventus et eorum successores dictos redditus a me venditos eisdem de cetero tenebunt, percipient ac in perpetuum possidebunt libere, quiete, pacifice cum homagio dicti Gaufridi et ejus heredum et cum omni jure alio et dominio quod in dictis mesnagio et pecia terre habebam et habere debebam, quocumque modo, sine reclamatione et contradictione mei de cetero et heredum meorum. Et si contra istam vendicionem a me dicto Rogero factam et concessam dictis abbati et conventui, dominis meis, venerit aliquis quoquo modo, ego predictus Rogerus aut heredes mei tenemur et debemus dictam vendicionem a me factam predictis abbati et conventui aut eorum successoribus coram omnibus garantizare, contra omnes defendere et ipsos indempnes totaliter observare vel, si necesse fuerit, valore ad valorem in nostro proprio hereditagio alibi, ubicunque fuerit, excambiare. Et licebit dictis abbati et conventui et eorum successoribus aut eorum mandato suam justiciam facere plenariam in dictis mesnagio et petia terre et etiam in omni alio tenemento ubicunque ab ipsis teneo aut tenere debeo, pro predictis redditibus, pro toto aut pro parte ipsorum, habendis ad dictos terminos sine mei et heredum meorum aut cujuslibet alterius contradictu. Pro hac autem venditione a me dicto Rogero facta et concessa predictis abbati et conventui iidem abbas et conventus michi dederunt et integre persolverunt novem libras Turonensium de quibus me tenui et omnino teneo pro pagato. Et ut hoc firmum et stabile deinceps teneatur presentem cartam sigilli mei notitia confirmavi per quam

et per juramentum meum me et heredes meos ad omnia predicta et singula in posterum tenenda obligo et relinquo in perpetuum obligatos. Actum anno Domini M CC LXX octavo, mense septembri.